

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae I.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS

IN
M. TVLLII CICERONIS
EPISTOLARVM
QVAE FAMILIARES VOCANTVR
LIBRVM II.

EPISTOLAE I.
ARGVMENTVM.

Distribuitur hoc argumentum in quattuor partes, morales omnes. in singulis enim tum officii, tum amoris quaedam elucet significatio: negotii prorsus abest mentio. quae sit autem cuiusque partis sententia, videamus. In prima, accusante Cicronem Curione, quia raro admodum litteras mitteret, ita se purgat, ut culpam a se remotam, in eum transferat: officiumque suum, si non contemni a Curione senserit, in eo genere pollicetur. In secunda, abesse tam diu Curionem dolet, quod eius consuetudine careat; laetatur, quod absens maximam laudem consequatur. In tertia, cum in excitando et aciendo plurimum valeat, si laudes eum, quem cohortere; aditum sibi aperit ad cohortandum, laudatione praeposita. Et quoniam naturae bona summas res gerentibus adiumento maxime sunt, laudandi materiam capit ab animi ingeniique praestantia: quae cum omnibus cognita sit, expectationem concitatam non tueri turpissimum est: excusantur enim, quibus desunt instrumenta naturae: at, quibus abunde adsunt, vitio datur, nisi voluntatem cum natura coniungant, et aliquid magna laude dignum aut gerant, aut conentur saltem. Nec mirum, laudari eum a natura, cum et in libro de clar. orat. c. 81. ita scriptum Cicero reliquerit: hic (C. Curio) a magistris parum institutus, naturam habuit admirabilem ad dicendum. In quarta, cum et ipse Curioni, et ei Curio plurimum debeat, modeste petit, ut imitetur suam consuetudinem in praestanda meritorum memoria, seque iam iam senescentem complectatur, ac foueat officiis suis. Scripta videtur Caluano et Messalla coss.

EXPLA.

EXPLANATIO.

Curioni] Cognomen fuit Scriboniae gentis, plebeiae, ortum a quodam Scribonio, Curione maximo, vt ex Liuiο lib. 41. c. 21. cognoscitur. Hic autem Curio, et pater, et auus, locum inter oratores, nulla, aut exigua litterarum ope, domestica tantum bene et accurate loquendi consuetudine, sunt adepti. Cicero in Bruto c. 32. 49. 59. et Plinius lib. 7. c. 41. Erat in Asia quaestor, vt opinor: quod cum ex epist. 5. non obscure cognoscitur, tum ex eo, quia tribunatum plebis postea gessit. Romam reuersus populo munus exhibuit admirandum, vt mortui patris memoriam honoraret. Plinius lib. 36. c. 15. Tribunus plebis L. Paullo, C. Marcello coff. ab optimatibus ad Caesaris partes transiit, amplius M.D. talentis a Caesare corruptus. Orto civili bello Siciliae praepositus, pulso M. Catone, mox in Africam profectus, contra Iubam Mauritaniae regem, et Pompeianarum partium ducem, P. Atium Varum, pugnans, interemptus est, Caesar lib. 2. de bell. ciu. c. 42. et alii. Eius filium, secutum Antonii partes contra Octavianum, post Octauiani victoriam ad Actium promontorium esse interfectum, Dio tradidit lib. 42. Huius autem, ad quem sunt Ciceronis epistolae, ingenium ac mores optime Velleius expressit lib. 2. c. 48. cuius verba libuit subscribere: *Bello civili, et tot, quae deinde per continuos xx. annos consecuta sunt, malis, non alius maiorem flagrantiorumque, quam C. Curio, tribunus plebis, subiecit faciem: vir nobilis, eloquens, audax, suae alienaeque*

et fortunae et pudicitiae prodigus, homo ingeniosissime nequam, et facundus malo publico. Huius animo, voluptatibus vel libidinibus, neque opes ullae, neque cupiditates sufficere possent. Hic primo pro Pompeii partibus, id est, vt tunc habebatur, pro republica, mox simulatione contra Pompeium et Caesarem, sed animo pro Caesare stetit. id gratis, an accepto centies H. S. fecerit, vt accepinus, in medio relinqueremus. ad vltimum saluberrimas adolescentis conditiones pacis, quas et Caesar iustissimo animo postulabat, et Pompeius aequo recipiebat, discussit ac rupit, vnice cauente Cicerone concordiae publicae.

Quamquam] Hic, et alibi iungitur indicandi modo, interdum subiunctiuo, vt vocant Grammatici. pro Plancio c. 2. *Quamquam non me id magnopere conturbet.* Infra ibidem c. 3. *Quamquam, quae nolui, ianua sim ingressus in causam.* Haec nonnullis fortasse leuiores videbuntur: mihi nulla pars omnino Latinae linguae videtur contemnenda.

Nomine negligentiae] Negligentiae causa, vt lib. 12. epist. 12. *Haec a te peto, non solum reipublicae, quae tibi semper fuit carissima, sed etiam amicitiae nostrae nomine.* et lib. 14. epist. 3. *Ego eo nomine sum Dyrrachii hoc tempore, vt quam celerrime, quid agatur, audiam.* Et de Amicitia c. 21. *Ab amicitia Q. Pompeii meo nomine se remouerat Scipio.*

Suspectum esse] Non enim aperte negligentiam nominauerat Curio: fed,

fed, cum quereretur de infrequentia litterarum, cauffam videlicet indicabat effe negligentiam.

Doleo] Qui negligentiae nomine fufpectus eft, eius nimirum amor in dubium vocatur. iure igitur Cicero dolet.

Accufari abs te officium meum] Nemo accufat officium: nemo enim negat, officium laude dignum effe. fed accufatur is, qui officio defit: quod hic Cicero fignificat. Aut, *officium accufari* dixit, hoc fenfu: accufas hoc ipfum, quod raro admodum, vt tibi quidem videor, ad te fcribam, quod officii quidem nomine non caret, fed ita exiguum, ac leue eft, vt accufandum, tamquam amicitia noftra minime dignum, exiftimes.

Iucundum, requiri] In quo veretur, ne Curionis animum offenderit, in eo ipfo beneuolentiam eius aucupatur. qui enim amari cupit, facile, vt ametur, confequitur. cupit autem Cicero, quia subiungit: ideo iucundum eft, requiri abs te officium meum, quia prae te fers perfectum mihi quidem, fed tamen dulcem, et optatum amorem tuum. Antitheta pofuit, *iucundum* et *moleftum*. vt lib. I. de Orat. c. 62. *Neque enim tam mihi moleftus fuit, quod ius noftrum ciuile peruellit, quam iucundus, quod fe id nefcire confeffus eft.*

Culpa vacarem] Cum neminem praetermiferim, cui litteras ad te non dederim.

Perfectum] Tempore exulii mei. nam haec ad eundem fcripfit epift. 6. *Tua in me vel nota omnibus, vel ipfa nouitate meorum temporum clariffima et maxima beneficia exftiterunt.*

Dulcem et optatum] Tua, inquit, querela hoc attulit iucunditatis, quod recognoui amorem in me tuum: quo nihil dulcius, nihil optatius. Non diffimilem fententiam vfurpauit lib. 10. epift. 19. quam vt augeatur Latine fcribentibus copia, fubfcribemus. *Sic vidi, inquit, quafi ea, quae oculis cernuntur, me a te amari. Dices, quid antea? Semper equidem; fed nunquam illuftrius.*

Tam in fcribendo impiger] Non dixit *diligens*, fed *impiger*; magis vt excuset fe, quam vt laudet. *Impigritas* etiam lib. 3. de republ. dixit. Plerique veteres libri habent, *tam fcribendo*. Vtro modo legatur, parui refert. Particulam tamen, *in*, delendam non putauim, cum eam viderem in antiquo libro, quem mihi nobiliffimus iuuenis, eruditione, ingenio, humanitate excellens, Io. Vincentius Pinellus dono dedit: cum quo et Alberti Ferri, egregii adolefcentis, et alter meus liber confentit.

Summum ERN. *Ad summum*] Omnino. utroque modo dicitur, *summum*, et *ad summum*. hic antiqui libri, quibus nunc vtor, omnes habent *ad summum*.

Condemnabo] Et iufte quidem: tu autem iniufte me accufas.

Te mihi aequum praebere] Non accufare me, cum omnino culpa vacem. Lib. 5. epift. 2. *A te peto, vt tu quoque aequum te iudicem dolori meo praebas.*

De litteris haftenus] Dixi iam, nihil effe in Latina lingua contemnendum; fi modo ea proprie, recteque vti cogitamus. quare subiungam, quae nonnullis fortaffe leuia videantur: fed, quo turpius in minimis

nimis labimur, eo diligentior esse debet animaduersio. *Haftenus*, et *adhuc*, aequae continuationem significant; sed hoc differunt, quod, *haftenus* de re semper vsurpatur; *adhuc* de tempore. non enim recte dixeris, *haftenus ita sensi*; sed, *adhuc ita sensi*. contraque proprie non dicitur, *de litteris adhuc*; sed, *de litteris haftenus*. Eriam illud obseruauimus, non eandem utroque continuationem significari. nam *haftenus*, absolutae rei continuationem semper indicat; *adhuc*, interdum etiam non absolutae: vt lib. 2. ad Attic. epist. 20. *Clodius adhuc mihi denunciat periculum*. Exemplorum refertus est Cicero.

Non enim vereor, ne non scribendo te expleam] Non dubito, inquit, quin scribendo te expleam. nam et, *non vereor*, exploratum, minimeque dubiam opinionem significat: et sequentes duae negationes, *ne non*, vim habent affirmandi. Sic epist. 5. *Non, quo verear, ne tua virtus opinioni hominum non respondeat*. Et epist. 6. *Neque sum veritus, ne sustinere tua in me vel innumerabilia non possem*. Et lib. 4. in Ver. c. 38. *Non vereor, ne hoc officium meum P. Seruilio iudici non probem*. Hoc autem verbo multis modis veteres utebantur. dicebant enim, *vereor ut*, *vereor ne*, *vereor ut ne*, *non vereor ut*, *non vereor ne*, *non vereor ne non*. quae singulatim examinemus. *Vereor ut*, et *vereor ne*, contrarium significant. prius illud timorem in ea re indicat, quae si accideret, doleamus. exempla subscribemus vtriusque modi. Lib. 12. epist. 19. *Non dubitabam, quin eas*

lubenter lecturus esses. verebar, ut redderentur. Fore suspicabatur, vt non redderentur, sed reddi cupiebat. item lib. 14. epist. 14. *Sin homo amens diripiendam urbem daturus est, vereor, ut Dolabella ipse satis vobis prodesse possit*. Cupiebat suas mulieres tuto Romae esse per Dolabellam: sed incertus timebat, vtrum eas, nec ne, Dolabella seruare posset. et Tusc. 2. c. 20. *Veremur, ut hoc natura patiatur*? Huc pertinet locus ille pro Marcello c. 4. *Vereor, ut hoc, quod dicturus sum, perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse cogitans sentio*: quod enim ita, vt ipse sentit, intelligi vellet, id ne non perinde intelligatur, timet. Hoc in vulgatis libris aliter legitur, mendose, vt opinor, et vt iam, explicata sententia, videor probasse. tollit autem dubitationem omnem Pediani testimonium, ita plane legentis, vt nos recitauimus, in explanatione orationis, quae inscribitur Diuinatio: cui subscribit antiquus liber optimi Cardinalis, Caroli Borromei. Terentius quoque in Andr. Aët. 1. sc. 5. v. 41.

— *Haud vereor, si in te solo sit situm*:

Sed vim ut queas ferre. —

Quo loco Donatus hic, inquit, *vereor*, subauditur: *ut, pro ne non, posuit: ut sit: sed vereor, ne non queas vim patris ferre*. Contra, *vereor ne desideres officium meum*, lib. 6. epist. 6. *verebatur enim id, quod esse nollet*. Et lib. 9. epist. 16. *Amant amorem tuum, qui te ad scribendam incitauit, verentem, ne Silus suo nuncio aliquid mihi sollicitudinis attulisset*. et lib. 15. epist. 17. *Caesarem putabant*

putabant moleste laturum, verentem, ne hasta refrixisset. et pro Milone c. 1. Vereor, ne turpe sit, pro fortissimo viro dicere incipientem timere. Quibus in locis timetur id, quod si accadat, molestia consequatur. Vereor ut ne, valet vereor ne: nam ut ne, pro ne, saepe usurpatur. Pergamus ad ea, quae restant. Non vereor, ut: affirmat. nam si, vereor ut, dubitationem habet: sequitur, ut, non vereor ut, dubitatione careat. exemplum addo, quo res fiat illustrior. Non vereor, ut, quod cogitas, possis perficere: nihil differt ab hoc: non dubito, quin possis perficere, quod cogitas. quale illud Ciceronis Phil. 5. c. 18. Ne verendum quidem est, ut tenere se possit; id est: ne dubitandum quidem est, quin se tenere possit: credendum est, eum tenere se posse. Non vereor ne, dubitationem tollit: ut si dicam: non vereor, ne filius meus male viuat: hoc dicam: non puto fore, ut male viuat filius meus. Et Cicero, cum scripsit ad eundem Curionem, epist. 7. non vereor, ne quid timide, ne quid stulte facias: hoc dixit: nihil timide, nihil stulte facies. Et ad Lucceium lib. 5. epist. 12. Non vereor, ne assentariuncula quadam aucupari tuam gratiam videar: id est, certe non videor tibi assentari. Non vereor, ne non, affirmat omnino, ut probatur hoc ipso loco, non vereor, ne non scribendo te expleam, pro, non dubito, quin scribendo te expleam. Verbum explere, plus est, quam, satisfacere; cum saepe satisfiat multis, licet non expleantur.

In eo genere] Notanda Ciceronis consuetudo in significanda re, proxime nominata. nam, cum dixe-

rit, scribendo, intulit, in eo genere. sic epist. 4. cum dixisset, nihil posse grauius scribi, nisi de republica, subiunxit, atque in hoc genere haec mea causa est, ut neque ea, quae non sentio, velim scribere. Epist. 6. Habemus, inquit, iuuentutis et gratiosorum in suffragiis studia, propter ipsius excellentem in eo genere vel gratiam, vel diligentiam. Epist. 17. Quod scribis ad me de drachmis CCCIDCC, nihil est, quod in isto genere cuiquam possim commodare. et lib. 3. ad Attic. epist. 7. Ego et saepius ad te, et plura scriberem, nisi mihi dolor meus cum omnes partes mentis, tum maxime huius generis facultatem ademisset.

Studium meum] Plus est, quam diligentiam. nam studium cum animo iungitur; diligentia interdum opera tantum est.

Abfuisse] Erat Curio in Asia. epist. 6.

Tandiu] Multis mensibus: nam post annum e provincia decedebant.

Iucundissima] Proprie dicimus enim, adolescens semibus iucundus: non contra.

Consuetudinis ERN. Consuetudinis tuae] Tuae, abest a sex antiquis libris: in vno tamen est; in alio, pro tuae, nostrae. quod quisque approbat, id sequatur.

Es consecutus] Nihil in provincia consequi Curio potuit a senatu, aut a populo Romano. nam si quaestor in Asia fuit; quod equidem arbitror, quia sequenti anno tribunatum plebis petiit: non intelligo, quid ei senatus, populusue Romanus absenti tribuere potuerit: nisi si, vel ut aliquid extra ordinem

nem posset agere, quod profuturum prouinciae videretur; vel, vt acta confirmarentur, Curio petierat. Aut, *es consecutus*, in ipsa prouincia: cum te istic omnes diligant, atque laudent: quod confirmatur iis verbis epist. 5. *Gratulor, quod excelsa, et illuftri loco fita est laus tua, in plurimorum et sociorum et ciuium conspectu: quae ad nos nec obscuro, nec vario sermone, sed et clarissima, et vna omnium voce perfertur.*

Meis optatis fortuna respondit ERN. *responder*] Ea, quae optabam, ad exitum fortuna perducit. Nec tamen ideo *fortunam* Cicero nominat, vt eripiat eam laudem Curioni, quae a virtute proficiscitur: (nam, quae fortuna largitur, optabilia potius, quam laudabilia sunt) sed quia in rebus humanis plurimum fortuna valet. recte igitur dixit, *in omnibus tuis rebus meis optatis fortuna respondet*: quia nemini omnia possunt, aduersante fortuna, e sententia succedere.

Breue est] Ob ea, quae proxime dixit. breuitate autem promissa, amorisque sui mentione subiecta, id assequitur, vt ea, quae praecepit, Curio libenter legat.

Cogit] Amouet a se culpam temeritatis, quod ei praecipere audeat, cuius adiuncta virtuti fortuna sit. Necesse, inquit, non erat: sed amor coegit, nec mediocris amor, qui cogere non potest, sed incredibilis.

Tanta est expectatio] Fere in omnibus epistolis expectationem proponit; quia vehemens, ac turbulentum extimescit Curionis ingenium. vnde illud epist. 13. *Quid*

ais? Caesarem nunc defendit Curio? quis hoc putaret praeter me? nam, ita viuam, putauit. Hortatur igitur, ac laudat eum, a quo timet, id quod euenit, ne reipublicae causam deserat.

Vel animi, vel ingenii tui] Quem cohortamur, eum laudare debemus. in excitando enim, et in acuendo plurimum valet, si laudes eum, quem cohortere: quod ad Trebonium Cicero scripsit lib. 15. epist. vlt. Optime autem in laudatione coniunguntur *animus*, et *ingenium*: ne sine ingenio temere multa committantur, sine animo timide. Vtrumque etiam, cum de eodem Curione loqueretur, Cicero coniunxit in Phil. 2. c. 18. *Patri, inquit, persuasi, vt aes alienum filii dissolueret; redimeret adolescentem, summa spe et animi et ingenii praeditum.* Eiusdem ingenium laudat his verbis in libro de clar. orat. c. 81. *A magistris parum institutus, naturam habuit admirabilem ad dicendum.* Velleius etiam lib. 2. c. 48. *audacem, et ingeniosissime nequam, maloque publico facundum* vocat.

Obsecrare obtestarique] *Obsecrare*, maiorem habet vim, quam, *rogare*, aut *orare*. itaque secundo loco ponitur; vt in oratione post red. ad Quir. c. 7. *Pro mea vos salute non rogauit solum, verum etiam obsecrauit.* Et lib. 2. in Ver. c. 17. *Cum multis lacrimis orare, atque obsecrare.* Est autem, *obsecrare*, quasi, ob sacra rogare: *obtestari*, vt ait Donatus ad Terent. Hec. Act. 3. Sc. 3. v. 27. *precari*, cum mentione earum rerum, per quas petimus. vt lib. 5. in Ver. c. 72. *Deos, deasque omnes imploro,* atque

atque obtestor. Et hic, *te obtestari*, est, *per te ipsum precari*. Cum, *obsecro*, iunctum, modo sequitur, ut hic; modo antecedit, ut lib. II. ad Attic. epist. I. *Idque ut facias, te obtestor atque obsecro.*

Non dubitem] Quia futurum spero.

Conformatus ERN. Confirmatus] Translatio a ponderibus: quae non facile sustinent imbecilli. *Confirmatus* autem, animo firmo, et ad sustinendam exspectationem bene parato. epistola sequenti.

Concitraſti] Commouisti. sed vis maior est in verbo, *concitraſti*. Latine autem utrumque dicitur.

Tueri] Conseruare. proprie enim, *tueri*, est, defendere: et, qui defendit, conseruat.

Tuorum erga me] Parem gratiam reposcit in memoria meritum. Quoniam, inquit, merita tua numquam obliuiscar; itidem debes, quae tibi olim puero praeceperim, quibus te rationibus ad laudem incitauerim, in omni vel fortunae, vel dignitatis accessione recordari.

Delebit] Obliuio memoriam delet, et obliuione memoriam delemus, Latine dicimus. ad animum transulit Terentius in Eun. Act. 2. Sc. 3. v. 5.

— *Deleo omnes dehinc ex animo mulieres.*

Puer olim] Quis credat, qua nos aetate pueros appellamus, ea in aetate Curioni praecepta Ciceronem dedisse? ego puerum hic vocari arbitror, post sumptam virilem togam, quae, praetexta deposita, sumebatur absoluto aetatis anno XVI. quo anno, a magistris discedentes, in forum una cum parentibus prodibant: a parentibus autem ad claros viros, vel ut ius ciuile, aut elo-

quentiae vias cognoscerent, vel etiam, ut eorum sermonibus, et consuetudine prudentiores fierent, deducebantur. Testimonio sunt ipsius verba Ciceronis in libro de Amicitia c. I. Ego, inquit, a patre ita eram deductus ad Scaeuolam, sumpta virili toga, ut, quoad possem, etliceret, a senis latere numquam discederem. Itaque multa ab eo prudenter disputata, multa etiam breuiter, et commode dicta, memoriae mandabam: fierique studebam eius prudentia doctior. Quo mortuo, me ad pontificem Scaeuolam contuli: quem unum nostrae ciuitatis et ingenio, et iustitia praestantissimum audeo dicere. Ac, ne nouum, et inusitatum videatur, ut annum ingressi XVII. pueri nominentur, recitabo locum eiusdem ex lib. 12. epist. 25. ad Cornificium: *Puer egregius praesidium sibi primum et nobis; deinde summae reipublicae comparauit.* De Octauiano loquitur: qui, cum exercitum pro republica priuato consilio comparauit, annum vndeicesimum agebat: ut in Taciti historia lib. 13. c. 6. notauimus. Non distinxit scilicet nomen *pueri*, et *adolescentis*. nam in alia ad eundem epistola (23.) *adolescentem* vocat: *Perſcriberem Caesaris Octauiani conatum: de quo multitudini fictum ab Antonio crimen videtur, ut in pecuniam adolescentis impetum faceret.* Et Phil. 4. c. I. *Laudo, laudo vos, Quirites, cum gratissimis animis prosequimini nomen clarissimi adolescentis, vel pueri potius.*

Aetas nostra iam ingrauescens] Scripsit hanc epistolam annos natus LIV. id ex eo constat, quod in epist. 6. Milonem in petitione consulatus commendat Curioni Romam

K

reuer-

reuertenti. Milo autem consulatum petiit, quod Appianus, Dio, alii docent, Caluino et Messalla cons. annis LIV. post eos consules, quibus Cicero natus est, Serranum et Caepionem: quorum consulatum, et eum, quem Caluinus et Messalla gesserunt, hoc annorum numero comprehendimus. Anno autem petitionis potius, quam praefationis, epistolam esse scriptam, declarant ea verba initio epistolae: *Cum has quam primum ad te perferri litteras magnopere vellemus.* Ingrauescit aetas, cum deficientibus iam corporis viribus, tardius moventur membra. hac usus est translatione in libro etiam de Senectute c. 2. *Quibus facillime rationibus ingrauescentem aetatem ferre possimus.* Et de Amicitia c. 10. *Mutari mores hominum saepe dicebat, alias aduersis rebus, alias aetate ingrauescente.* Graues aetate, dixit Liuius lib. 2. c. 19. et lib. 10. c. 34. *Gravior natu,* Terentius in Heaut. Act. 4. Sc. I. v. 32. *Gravior aeuo,* Virgilius lib. 2. Aen. v. 436. *Gravis annis,* Horatius lib. 1. Serm. Sat. I. v. 4.

Adolescentia] Non modo sumpta virili toga, quam sumi solitam esse ineunte anno aetatis XVII. proxime ostendimus, sed etiam post annum XXX. *adolescentes* vocabantur; et, qui *adolescentes*, iidem *iuuenes*. nam, quae hic *adolescentem* Cicero significat, eundem nominat *iuuenem* lib. 2. ad Attic. epist. 12. cum ea tamen epistola septem annis ante hanc scripta sit. nam in ea Clodii, tribunatum petentis, qui petiit Caesare et Bibulo cons. mentio fit: hae vero ad Curionem omnes, praeter ultimam, gratulationis officio fungentem,

Caluino et Messalla cons. scriptae sunt. quo certe anno videtur Curio maior annis XXX. fuisse, cum biennio post tribunus plebis fuerit, Sulpicio et Marcello cons. ut patet ex epist. 7. De eodem Curione, quadriennio post, dixit Caesar lib. 2. de bell. ciu. c. 38. *Mulum ad hanc rem probandam adiuvat adolescentia, magnitudo animi.* In oratione etiam pro Murena c. 26. vocatur *adolescent* Ser. Sulpicius, cum minor annis XXX. certe non esset. habita enim a Cicerone consule oratio illa: Sulpicius autem post annos XI. consulatum gessit. Et lib. 2. de Orat. c. 2. cum dixisset de L. Crasso, non multa eum, quae quidem exstarent, et ea ipsa adolescentem, scripta reliquisset: postea in lib. de claris orat. c. 43. eius orationem, quam habuit pro Seruilia lege annos natus XXXIV. exstare significat. Quid, quod Salustius in Coniuratione Catilinae c. 49. *adolescentulum* appellat C. Caesarem, quo anno pontificatum maximum est adeptus, qui cum pontifex creatus sit post aedilitatem, aedilitas autem a quaestura biennio distet, et quaesturam Caesar gesserit anno aetatis XXXIII. quod Suetonius c. 13. declarat; pontificatum consequi non potuit ante annum XXXVI. Quodque magis mirum, Phil. 2. c. 11. *adolescentes* Cicero vocat Brutum et Cassium, quo anno praeturam gerebant, id est, anno aetatis quadragesimo. eundemque Brutum eodem anno *adolescentem* appellat Cornelius Nepos in Attici vita c. 8. et 16. Liuius etiam lib. 9. c. 17. de Alexandro Magno, qui anno aetatis trigesimo tertio diem obiit, haec inquit: *Adolescent, in incremento rerum*